

tas, & uitæ fides. Suauis autem narratio est, quæ habet admirationes, expectationes, exitus inopinatos, si interpositos motus animorum, colloquia personarum, dolores, iracundias, metus, lætities, cupiditates. sed iam ad reliqua pergamus. C.F. Nempe ea sequuntur, quæ ad faciendam fidem pertinent. C.P. Ita est, quæ quidem in confirmationem & in reprehensionem diuiduntur. Nam in confirmando, nostra probare uolumus, in reprehendendo redarguere contraria. Quoniam igitur omne, quod in controuersiam uenit, id aut sit, nec ne sit, aut quid sit, aut quale sit queritur: In primo coniectura ualet, in altero definitio, in tertio ratio. C.F. Teneo istam distributionem. Nunc coniecturæ locos quæro. C.P. In uerisimilibus & in proprijs rerum notis posita est tota. Sed appellemus docendi gratia uerisimile, quod plerumque ita fiat, ut adolescentiam procliuuorem esse ad libidinem. Propriæ autem

tem